

Spiritus S. habet mediante natura divina cum Filio, non sufficit, ut dicatur incarnati; ita nec ut dicatur esse concomitantem sub speciebus panis & vini. Videtur etiam conformior Concilio Trid. quod dicit, Divinitatem esse concomitantem in Eucharistia propter unionem hypostaticam, quae non est in Patre & Spiritu S. & ibidem enumerans, quae in hoc Sacramento sunt concomitantem, non meminit Patris & Spiritus S. sed solum Filii.

ARTICULUS II.

Expenduntur breviter varia Quaestiones circa praesentem materiam ex ceteris Articulis D. Thomae.

Petes I. Utrum quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc Sacramento? R. 1. (Ib. art. 4. a.) Tota quantitas corporis Christi dimensiva, sicut alia ejus accidentia, sunt in hoc Sacramento, non vi verborum, sed concomitantem; quia vi verborum est in hoc Sacramento id, ad quod directe conversio terminatur; conversio autem, quae fit in hoc Sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non ad ejus quantitatem, & cetera ejus accidentia. Quod patet ex eo, quod quantitas panis & alia ejus accidentia remanent, facta Consecratione, sola panis substantia transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate, & aliis accidentibus; inde fit, quod ex vi talis connexionis sint in hoc Sacramento tota quantitas dimensiva Christi, & omnia ejus accidentia. R. 2. (Ib. ad 1. 2. & 3.) Quantitas corporis Christi est in hoc Sacramento extensiva partium in ordine ad se, ita scilicet quod caput continetur collo, mediante collo pectori, &c. non vero extensiva partium in ordine ad locum; quia, cum sit ibi per accidens & ratione substantiae, cui est conjuncta, existit ad modum substantiae, qui modus est, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, non pars in parte. Neque id implicat; quia extensio partium in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, qui potest ab illa separari. Hanc colligit, corpus Christi in Eucharistia esse coloratum, figuratum, &c. in ordine ad se, non ordine ad locum. Id autem facilius intellectu, quam imaginatione percipitur.

Petes 2. Utrum corpus Christi sit in Sacramento sicut in loco? R. 1. Si esse in loco late sumatur proit idem est, ac esse realiter praesens alicui spatio, certum est corpus Christi in Eucharistia esse in loco; quia est ibi realiter praesens spatio, in quo sunt species consecratae; quod significat Trid. sess. 13. cap. 1. dicens, non implicare Christum juxta modum essendi naturaliter esse in loco, & nihilominus multis aliis in locis sacramentaliter esse praesentem secundum suam substantiam. R. 2. (Ib. art. 5. a.) Corpus Christi in Eucharistia non esse proprie, hoc est, circumscriptivè locatum, neque etiam definitivè; quia id dicitur esse circumscriptivè in loco, quando ejus quantitas commensuratur ad locum, ita ut partes illius correspondeat partibus loci; quantitas autem Christi, ut diximus, non est extensa ad locum, nec illi commensurata. Non definitivè, quia ita dicitur esse definitivè in loco, quod ita est ibi, ut non sit alibi; Corpus autem Christi sic est in hoc Sacramento, ut sit etiam alibi, nempe in caelo, & in variis speciebus consecratis. R. 3. (Ib.) Corpus Christi est in Eucharistia ad modum substantiae, seu, ut communiter dicitur, sacramentaliter. Sequitur ex praecedenti Responso. Si enim non sit ibi circumscriptivè, neque definitivè; ergo ad modum substantiae totum in toto, & totum in qualibet parte, qui modus essendi est proprius huic Sacramento, nullum exemplum habens in natura, & antiquis Philosophis ignotus, quippe qui humanae mentis caprum transcendens est sola fide cognoscibilis. Jure dicitur substantialis reductivè pertinens ad praedicamentum substantiae, quia per illum corpus Christi est substantia realiter praesens in Sacramento.

Petes 3. Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento? R. (Ib. art. 6. a.) Christus in Eucharistia non potest moveri localiter per se bene, tamen per accidens. Ratio primi; quia per se moveri localiter includit esse in loco, locum unum deserere, & alium acquirere, Christus autem ex dictis non est in hoc Sacramento, ut in loco. Ratio secundi; quia Christus ad motum specierum movetur revera localiter, sicut anima movetur ad motum corporis; unde dicitur elevari, deferri in Processionibus, & ad infirmos. Neque obstat, ipsum non frigeoere aut calefieri ad frigeoctionem vel calefactionem specierum. Disparitas est, quod sit ibi incapax omnis motus alterationis. Unde nihil potest recipere, quo fiat alterum etiam per accidens; ut autem moveatur per accidens ad motum specierum, non debet in se mutari, vel alterari; sed sufficit, si species ipsum continentes locum mutant; neque enim terminus mutationis locus, qui est ubi, in ipsum recipitur, sed in ipsis speciebus, quae solae propria quantitate commensurantur ad

locum. Unde corpus Christi non se habet sub speciebus, sicut qui movetur in navi, caret enim extensione locali, quam habet existens in navi, & per quam occupavit locum.

R. 2. Corpus Christi in hoc Sacramento non potest agere, aut pati actione corporea; quia agentia corporea non agunt nisi per potentias & organa, quae sunt formaliter apta ad agendum per extensionem localem, quae caret corpus Christi. Adde, quod nullum agat nisi tangendo, nec patiatur nisi tangatur ab alio: contactus autem corporum exigit extensionem localem. R. 3. (Ib.) Corpus Christi non desinit per se in Eucharistia, quia de se est inefficiens & incorruptibile; sed desinit esse sub speciebus per accidens ad desitionem specierum per amissionem praesentiae ad illas, quatenus Deus desinit illud conservare sub illis; eo fere modo quo Deus ipse desinit esse in creatura, quando illa desinit.

Petes 4. Utrum corpus Christi in Eucharistia possit videri oculo? Duplex est oculus, scilicet corporalis proprie dictus, & intellectualis, qui per similitudinem dicitur oculus mentis. (Ib. art. 7. a.) R. 1. (Ib.) Nullus intellectus creatus, sive humanus, sive Angelicus, potest virtute naturale attingere Christum in Eucharistia; quia est ibi modo omnino supernaturali, nec ullam habet connexionem, sive causae, sive effectus, sive debiti cum rebus naturalibus, quae sunt objectum intellectus creati, attentae ejus virtute naturali. Intellectus autem humanus in hoc vita illum attingit per fidem; Beatus in Patria, sive humanus, sive Angelicus, per lumen gloriae in Verbo. R. 2. (Ib.) Oculus corporeus non potest naturaliter videre corpus Christi in Eucharistia: tum quia, cum corpus Christi sit ibi inextensus localiter, non potest emittere species visibiles extensas per medium, proit necesse est ad visionem corpoream: tum quia ibi est ad modum substantiae; substantia autem oculo corporeo videri non potest. R. 3. Oculus corporeus de potentia Dei absoluta potest videre corpus Christi in Eucharistia, non tamen modum, quo existit.

Est communior inter Thomistas, & D. Th. (Ib.) conformior: dicit enim, quod Oculus corporalis Christi videt seipsum sub Sacramento existentem. Si autem oculus Christi videt seipsum, potest etiam alter oculus, scilicet de potentia Dei absoluta, illum videre. Neque valet, quod respondent Joannes a S. Th. sensum D. Th. esse, quod oculus Christi, cum se videat in coelo existentem, retineat eam visionem in Sacramento, adeoque in Sacramento se videat. Hae enim interpretatio vim apertam facit textui. Non enim dixit Angelicus Doctor, quod oculus Christi existens sub Sacramento se videat, proit debuisset dicere juxta interpretationem datam; sed quod se videat sub Sacramento existentem.

Repone. S. Th. subdit immediate Nec tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo conformatur ei oculus gloriosus: ergo ex hoc, quod oculus Christi se videat, male inferimus, quod alii oculi etiam gloriosi possint illum videre. R. N. Cons. Discrimen enim, quod ponit S. Th. inter oculum Christi & alios oculos gloriosos non officit nostrae illationi; seu sensus ejus est, quod oculus Christi in Sacramento, cum sit ad modum sui corporis inextensus recipiat partem speciei sui corporis inextensas: at alter oculus quantumvis gloriosissimus, cum sit extensus, non potest naturaliter cognoscere objectum, nisi per species extensas, quas corpus Christi in Eucharistia non emittit. Non negat tamen S. Doctor, id de potentia Dei absoluta esse possibile etiam oculis gloriosis extra Sacramento existentibus, quin e contra asserit in 4. d. 10. q. 1. art. 4. q. 1. ad 1. dicens: Oculus Christi extra species sacramentales existens non videt se ipsum intra species sacramentales existentem nisi miraculose: & similiter alii oculi gloriosi non vident ipsum hunc, nisi forte per miraculum. Ratio vero responsionis est; quia, licet corpus Christi in Eucharistia non sit objectum proportionatum oculo corporeo, propter ejus inextensionem localem, continetur tamen intra objectum ejus specificativum, quia est coloratum lucidum. Unde, sicut licet Deus clarè visus non sit objectum proportionatum intellectui humani, quia tamen est intra objectum ejus specificativum, potest elevari per lumen gloriae ad ejus visionem; ita similiter oculus corporeus respectu corporis Christi in Eucharistia.

Si dicas, corpus Christi inextensus non posse emittere species extensas, quales requirit oculus corporeus. R. quod, quamvis id non possit virtute naturali, non implicat tamen id posse virtute supernaturali, aut Deum ipsum eas producere in oculo videntis. Dixi: non tamen posse videri ab oculo corporeo modo, quo Christus existit in Eucharistia; quia iste modus non est coloratum lucidum, sed totum supernaturalis, ideoque non contentus intra objectum specificativum oculi corporei.

Petes 5. Utrum, quando in Sacramento apparet miraculose vel caro, vel sanguis, vel puer, sit verè ibi corpus Christi, & an maneat sacramentaliter? Duplicitè contingere potest hujusmodi apparitio. (Ib. art. 8. a.) 1. Ex parte videntium, quo-

quorum oculi ita immutantur, ac si viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen mutatione facta ex parte Sacramenti, seu specierum sacramentalium. Et hoc contingere videtur, quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri, aliis sicut prius sub specie panis: vel quando eidem videtur ad horam sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis. 2. Contingit hujusmodi apparitio non per solam immutationem videntium, sed etiam per immutationem specierum; quod dignoscitur, si constanter ab omnibus eodem modo videtur.

R. 1. (Ib.) Si apparitio contingat primo modo, non est ibi verè corpus Christi, & remanet sacramentaliter. Ratio utriusque est; quia nulla fit mutatio in objecto sub speciebus, sed tantum oculis videntium. R. 2. (Ib.) Si apparitio fiat secundo modo, nec sit tanta mutatio specierum, quia remaneant adhuc dimensiones panis cum eadem densitate, sapore, odore, & tali temperamento, quod sufficeret ad conservationem panis, si ibi esset, quamvis facta quadam immutatio quoad accidentia communia, puta colorem, remanet sacramentaliter corpus Christi; quia tandiu manet corpus Christi sub speciebus, quantum manent species: manent autem species manentibus dimensionibus, seu eo temperamento, sub quo servaretur panis, si addeset. Unde, si taliter immutarentur species, ut sub eis non maneret substantia panis, si addeset, non maneret etiam corpus Christi sub illis. R. 3. (Ib.) Communis tenent Theologi cum Auctore, quod in hac secunda apparitione non sit etiam, vel caro, vel sanguis Christi: tum quia nunquam,

aut raro legitur, Christum post suam ascensionem apparuisse in terris: tum quia idem corpus non potest esse circumscriptivè in duobus locis: est autem corpus Christi circumscriptivè in caelo, nec ulla est necessitas dicendi, quod Christum ad tempus deserat caelum. Si dicas bilocationem esse possibilem per miraculum. Negant Thomistae cum suo Auctore; & hoc dato, nulla est etiam necessitas abstruendi istud miraculum. Naque (Ib.) tamen est deceptio in utraque apparitione, sicut accidit Magorum prestigii; quia talis species, seu representatio formatur divinitus ad aliquam veritatem figurandam, ut scilicet manifestetur praesentia realis Christi in hoc Sacramento, sicut etiam absque deceptioe Christus apparuit Discipulis euntibus in Emaus sub specie Peregrini Luc. 24. Dicit enim Aug. 1. 2. QQ. Evan. cult. Dim fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.

Si queras, quomodo se gerere debeat Sacerdos celebrans, cui talis apparitio contingeret? R. (Hic q. 82. art. 4. ad 2.) quod non debeat sumere corpus Christi sub specie carnis, nec sanguinem sub specie sanguinis, aut sub aliqua extranea specie a specie panis, vel vini; sed, reservata specie, quae est immutata, debet alteram sumere: nec obstat praecipuum de integrando Sacrificio; quia, quae miraculose fiunt, sub legibus non subduntur. Consultum tamen foret huic Sacerdoti iteratò corpus, & sanguinem Christi consecrare, & sumere.

Auctor. Q. 77. agit de accidentibus remanentibus in hoc Sacramento, de quibus nos sufficienter egimus Diss. 1. art. 6. §. 2. Vide ibi.

DISSERTATIO V.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

D. Thom. Quæst. 78.

Circa Eucharistiae formam sicut circa cetera varè erraverunt nostras Hæretici. Bucerus vult, nulla verba esse profertenda; Calvinus, esse profertenda recitative tantum ad fidem excitandam; Lutherus contendit, hæc etiam verba: Qui pridie, &c. esse consecratoria; Keimnizius, totam Christi institutionem pertinere ad integritatem formæ; alii aliter. Græci quidam Schismatici dicunt, Eucharistiam confici precibus, quas post prolata hæc verba: Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, fundunt secundum suas liturgias in hunc modum Rogamus Pater, ut mittas spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera; & fac panem istum pretiosum corpus Filii tui, & quod est in Calice pretiosum sanguinem Filii tui. Hujus erroris Patroni præcipui fuerunt Cabasitas, Marcus Ephesinus, & Simoon Thessalonicensis, quos confutavit Cardinalis Bessarion opus. de Eucharistia, Arcudius libr. 3. concordie c. 26. & seq. & Allaius libr. 3. de consensu Orient. & Occident. Eccles. c. 15.

Inter Catholicos (Hic q. 78. art. 1. ad 1.) Innocentius III. libr. 4. Myst. Missæ c. 6. opinativè tenuit, Christum sine verbis, sed sola benedictione consecrasse, postea tamen præscripsisse formam, seu verba, quibus Sacerdotes consecrant. Hanc opinionem deinde ut certo veram propugnavit Ambrosius Catharinus duobus opusculis, quæ ad Concilium Trid. misit. Huic quidam alii subscriperunt. Scotus, juxta vulgarem de ipso opinionem, censuit, verba Christi ad Consecrationem non esse efficaciam, nisi præmissis, Qui pridie, &c. quia alioquin Sacerdos non loqueretur in persona Christi, sicut tò Corpus meum importaret corpus celebrantis non Christi, idque reverè videtur docere subtilis Doctor in 4. d. 8. q. 2. ab hac tamen sententia ille vindicare conatur quidam ejus Discipuli. Inter Thomistas controversa est circa formam Calicis. Quidam volunt, hæc sola verba, Hic est Calix sanguinis mei, esse essentialia formæ; alii etiam ea, quæ sequuntur Navi, & aterni, &c. Maximè lis est de mente D. Th.

Tria itaque hic nobis se offerunt discutenda. 1. utrum Christus consecrando verbis usus fuerit? utrum solis verbis Christi perficiatur Consecratio independentè a precibus praecedentibus, vel subsequentibus? 3. quæ sint verba utriusque formæ essentialia?

ARTICULUS I.

Utrum Christus consecrando verbis usus fuerit?

Christum potuisse solo imperio sine verbis convertere panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum, extra dubium est: sed, an ita fecerit? queritur.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Dico, Christum consecrando non sola benedictione, sed his verbis: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus; vel, Hic est Calix sanguinis mei, usus est. Prob. 1. ex Scriptura. Christus consecravit eodem modo, quo Sacerdotes nunc consecrant, postquam enim consecrasset, dixit: Hoc facite in meam commemorationem; atqui Sacerdotes nunc consecrant verbis laudatis, ut dicemus art. seq. ergo.

Prob. 2. ex Patribus Tertull. libr. 4. contr. Martion. c. 40. Acceptum panem, inquit, & distributum Discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo Chrysost. Hom. 3 in 1. Timoth. Quomodo verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita, & oblatio eadem est. Ambros. libr. 4. de Sacram. c. 4. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo offerunt: oratio præmittitur pro populo, pro regibus: ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Item alii, de quibus art. sequenti.

Prob. 3. ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 1. ubi dicitur: Hoc admirabile Sacramentum in ultima Cena instituisse (Christum), cum post panis viniq. benedictionem se suum corpus præberet, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus esto. Quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, & a D. Paulolo postea repetita sunt. Porro, si post benedictionem ergo non per benedictionem saltem præviam, & distinctam ab ipsa Consecratione per verba Evangelica. Si verbis disertis, & perspicuis, quibus testatus est se suum corpus, & sanguinem præbere, & quæ ab Evangelistis, & ab Apostolo referuntur: ergo istis: Hoc est corpus meum; hic est Calix sanguinis mei; non sunt enim alia assignabilia. Quamvis conclusionem ut certam amplectantur Theologi, plures tamen nolunt esse de fide; quia, inquit, nullo Ecclesie decreto definita est, ut res ista: licet enim Concil. Trid. verbis mox relatis ipsam sic clarè indicet, non tamen anathemate damnat eos, qui contrarium sentiunt; quamvis non ignoraret tunc esse aliquos; & Salmeron, qui Concil. Trid. adhaerit, Tom. 2. Tract. 13. fatetur, nihil illa de re definitum fuisse a Concilio.

Obj. Christus benedixit, & gratias egit, priusquam dixerit: Hoc est corpus meum, &c. ut patet ex Evangelistis; atqui illa benedictio fuit consecratoria: ergo. Prob. Min. 1. Ex Apost. 1. Cor. 10. dicente: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Ubi loquitur Apostolus de benedictione, de qua loquuntur Evangelistae; atqui Apostolus loquitur de benedictione consecratoria, cum vi illius dicit esse

esse communicationem sanguinis Christi: ergo. 2. Benedictio illa, seu gratiarum actio non videtur esse aliud, quam oratio, seu invocatio divinæ virtutis; atqui hæc oratio Christi fuit efficax, non minus quam dùm multiplicavit panes in Deserto: ergo.

Huic argumento duplex est responsio. Prima distinguit Minorem sic: illa benedictio fuit consecratoria preparatorie, & mediæ, C. formaliter per se, & immediatè, N. Equidè potuisset Christus, ut dictum est, solo imperio, seu benedictione Sacramentum conferre; at ita noluisse constat ex probationibus Conclusionis. Benedictio itaque, seu gratiarum actio, quæ præcessit, si præcesserit, erat invocatio divinæ virtutis super panem, & vinum, qua ad consecrationem per verba sequentia perficiendam præparabatur: sicut resurrectione Lazari præcessit oratio, & gratiarum actio, tanquam præparatio ad resurrectionem, quæ tunc demùm facta est, cùm Christus voce magna clamavit *Lazare veni foras*. Undè ad 1. probationem in contrarium respondetur, Apostolum nomine benedictionis intelligera totam Coenæ celebrationem, quam ab aliqua ejus parte denominavit benedictionem: neque inde magis inferri posse, benedictionem simplicem fuisse consecratoriam, quam panis fractionem, de qua similiter dicit Apostolus: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis est?* Ad 2. Prob. D. Min. Hæc oratio fuit efficax, non minus quam ea, qua multiplicavit panes in Deserto, & eodem modo, N. & diverso modo, C. Oratio in Deserto fuit efficax immediatè, ista mediatè, prout Christo placuit.

Altero responsio, quæ est D. Thomæ (*Ibid.*) negat Majorem argumenti intellectam de benedictione, de qua loquuntur Evangelistæ; dicitque, hanc benedictionem fuisse ipsam Consecrationem per verba Evangelica, aut eam fuisse comitantem, & non præcessisse. Ad seriem autem verborum Evangelistarum respondet, Evangelistas non semper eundem ordinem in recitando servasse, quo res gestæ sunt, ut colligitur ex D. Aug. libr. de consensu Evang. cap. 30. 31. & 44. Undè ordo rei gestæ sic exprimi potest. Accipiens panem, benedixit dicens: *Hoc est corpus meum*, & deinde fregit, & dedit Discipulis suis. Inò idem sensus haberi potest etiam, verbis Evangelicis non mutatis. Nam hoc participium *Dicens* concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt: non est autem necesse, quòd illa concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolatis, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit Discipulis; sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, ut sit sensus: Dum benediceret, frangeret, & daret Discipulis, hæc verba dixit: *Accipite, &c.* sicut, si dicerem: *Hoc fecit, & hæc dixit*, non sequitur, quòd dixerim, postquam fecerim, sed posset intelligi, quòd dixerim, dum facerem. Huic responsioni favet textus suprà laudatus Apostoli: *Calix benedictionis, &c.* favet Ambrosius l. de iis, qui initiantur c. 9. dicens: *Hic est panis, quem benedictio consecravit; major est vis benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.* Et *Ibid.* Ipse clamavit Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum.* Antè benedictionem verborum celestium alia species nominatur, post Consecrationem corpus significatur. Ubi aperte docet, benedictionem esse Consecrationem per verba Evangelica.

Verum contra hanc responsionem militat duo argumenta. Primum petitur ex textu græco, in quo benedicere exprimitur per participium Aoristum, quòd habet significationem præteriti, & reddi solet per præteritum plusquam perfectum, *Cum benedixisset*, & non ut vertit Latinus Interpres, *Benedixit*. Idque confirmatur ex Marco c. 14. dicente: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus.* Supponit ergo, jam consecratum fuisse Calicem per benedictionem, seu gratiarum actionem, antequam diceret: *Hic est sanguis meus*: Secundum argumentum desumitur ex Trident. sess. 13. cap. 1. ubi dicitur: *Post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis præbere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est*: ergo benedictio præcessit Consecrationem. Ad 1. R. argumentum esse infirmum; quia in aliis Scripturæ locis similis Aoristi redduntur præteritum imperfectum, ut Act. 13. v. 4. *Intuens autem in eum Petrus, reddi debet, cùm intueretur in eum Petrus*: & Matth. 26. v. 25. *Respondens autem Judas dixit*, id est, cùm responderet Judas, dixit. Ad Confirmationem. Militat contra utramque responsionem: igitur pro utraque dicitur ut antè, Evangelistas non semper servare recitando ordinem, quo res gestæ sunt; hæc itaque verba: *& biberunt ex illo omnes*, recitata sunt a S. Marco per anticipationem, ut præceptum cum ejus executione conjungeret. Ad 2. quòd magis urget, quidam respondent, sensum Concilii esse, quòd post benedictionem, seu Consecrationem, id est, non nisi per benedictionem, seu Consecrationem, & non antè: Sicut, si diceremus, post Baptismum homo insignitus est characterem, id est, non nisi per Baptismum, & non antè insignitur cha-

racterem. Alii, & fortè meliùs, dicit S. Thom. hoc unum velle, nimirum quòd benedictio consecratoria facta fuerit verbis Evangelicis. An autem præcesserit benedictio accidentalit, ut videtur innuere Trid. non negat neque de hoc agit S. Doctor.

ARTICULUS II.

Utrum solis Verbis Dominicis, & non Precibus præcedentibus, aut subsequentibus, fiat Consecratio?

Dico. Solis Verbis Dominicis, non precibus, quæ præcedunt, aut sequuntur, Consecratio perficitur. Conclusio est præsertim contra quosdam Græcos Schismaticos, qui, ut diximus in prænotaminibus, contendunt Consecrationem fieri precibus, quæ in suis Liturgiis ad verba Dominica sequuntur. Prob. rationibus Theologicis. 1. Sacerdotes consecrant eo modo, quo Christus consecravit; dicit enim facta Consecratio: *Hoc facite in meam commemorationem*; atqui Christus consecravit his verbis: *Hoc est corpus meum, &c.* & non precibus, ut patet ex Articulo præc. ergo. 2. Quòd Sacerdos in persona Christi dicit: *Hoc est corpus meum*, verum dicit: ergo vi istorum verborum, independentè a precibus subsequentibus, adest corpus, & sanguis Christi. Forma hujus Sacramenti est ex institutione divina, & eadem apud omnes; atqui preces sunt ex institutione Ecclesiæ, & diversæ apud diversos: ergo.

Prob. ex Conciliis. Trid. sess. 12. c. 1. declarat, hoc Sacramentum fuisse institutum, & perfici verbis, quæ ab Evangelicis commemorata sunt, & ab Apostolo repetita, quibus Christus se suum corpus, & sanguinem Discipulis præbere testatus est; atqui hæc non sunt preces, sed ea, quæ Christus proaunxit: *Hoc est corpus, &c.* ergo. Confirm. Idem *Ibid.* c. 13. dicit, Corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, *vi verborum*; atqui verba non sunt verba precum, quippe quæ eadem sunt pro Consecratione panis, & vini: ergo hæc sunt pro Consecratione panis, *Hoc est corpus meum*; & ista pro Consecratione vini: *Hic est sanguis meus*: Concilium Florent. in Decreto unionis: *Forma hujus Sacramenti (inquit) sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.*

Prob. ex ipsa Græcorum confessione, & praxi. 1. Græci in Concilio Flor. sæpè ab Eugenio IV. interrogati de sua fide circa formam Eucharistiæ, tandem sess. 25. apud Labb. Tom. 13. pag. 491. sic de his verbis: *Hoc est corpus meum*, potestati sunt: *Fateri nos dicimus, quòd hæc verba transsubstantiant sacramentum panem, & fieri corpus Christi: sed postea, quemadmodum, & ipsi (Latini) dicitis: Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in Calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa, Spiritu S. suo, ut fiant communicantibus in purgationem anime, in remissionem peccatorum, & non fiant in iudicium, & condemnationem nostram.* Quibus verbis aperte declarant, per preces, quas fundunt, non potere, ut absolute fiat corpus Christi, quòd jam supponunt; sed ut fiat ipsis in remissionem peccatorum. Item Dominica 5. Julii anni 1438. in generali Congreg. ejusdem Concilii præsidente SS. Domino Eugenio Papa, Cardinalis Bessarion suo, & aliorum Patrum, Ecclesiam Orientalem representantem, nomine dixit inter alia: *Quoniam ab omnibus sanctis Doctoribus Ecclesie, præsertim ab illo Beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audivimus verba Dominica esse illa, quæ mutant, & transsubstantiant panem, & vinum in corpus verum Christi, & sanguinem, quod verba illa divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent; nos ipsum sanctissimum Doctorem, & illius sententiam sequimur de necessitate.*

2. Juxta liturgias SS. Basilii, Chrysostomi, & aliorum, quas recipiunt Græci, cùm Sacerdos alta voce pronuntiat hæc verba: *Hoc est corpus meum*, Populus respondet *Amen*, & Diaconus assistens extremitate stolis demonstrat panem, & Calicem adorandum. Hæc autem vox *Amen* significat græcè *Verum est, ita est, ut dicit*; & ista ostensio significat, esse ibi corpus, & sanguinem Christi. Sic arguit contra Græcos Cardinalis Bessarion ipse Græcus tom. 26. Bibliot. Patrum pag. 795. Arcudius libr. 3. c. 26. Goarius in Euchologio pag. 129. in not. ad Missam Chrysostomi.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. SS. Patres asserunt, orationibus, & precibus Sacerdotum Eucharistiam confici. Ità S. Justinus in Apolog. 2. Irenæus l. 4. c. 34. Origenes l. 4. contra Celsum, Cyrillus Je-

rosol. Catechesi 1. & 5. S. Basilus l. de Spiritu S. c. 37. Hieronymus Ep. 85. Ang. l. 3. de Trinit. c. 4. & alii plures, ac tandem Gregorius Magnus, qui l. 7. Epistoliarum, Epist. 63. dicit, morem Apostolorum fuisse, *Ad ipsam solummodo orationem dominicam oblationis hostiam consecrare*: ergo. R. Patres duplici sensu Consecrationem orationibus Sacerdotum adscribere. 1. Quia, licet non habeant secundum se vim consecrandi, Consecrationem tamèn ex instituto Ecclesie semper comitantur, & quæ procedunt, disponunt ad illam. Neque obstat, quòd independentè ab illis Consecratio per verba sacramentalia perficeretur; vult enim Deus plura a nobis peti, quæ, etsi non peteremus, nihilominus faceret, ut agnoscamus ipsum ex pura liberalitate, & misericordia ea elargiri, eumque omnium honorum esse Auctorem. Sic Baptismo conferendo præmittuntur preces, quamvis sine illis per verba conferretur Baptismus: 2. Sæpè Patres per orationem intelligunt ipsam Consecrationem per verba Evangelica, quæ est oratio implicita. Omne enim opus bonum, & maxime Sacrificium, quo Deo litamus, & ejus divinam Majestatem recognoscimus, verè dici potest oratio. Ad sanctum Gregorium: Loquitur ibi de precibus adjunctis Sacrificio a quodam Scholastico; & reputat inconveniens, quòd his precibus adhibitis omittatur Oratio Dominica, quam solam recitabant Apostoli in celebratione Sacrificii.

Obj. 2. Ex liturgiis Græcorum, in quibus post recitata verba sacramentalia, adhuc orant; ut fiat corpus, & sanguis Christi, ut vidimus in prænotaminibus. Ità liturgia S. Basilii, Chrysostomi, Marci, Armenorum, &c. ergo existimant, per hæc verba: *Hoc est, &c.* panem, & vinum non converti in corpus, & sanguinem Christi, sed per orationes sequentes. R. missis variis solutionibus; Græcos petere per istas preces, non ut fiat corpus Christi physicè, & absolute moralitè, sed ut fiat moralitè, id est, ut fiat salutare communicantibus in remissionem peccatorum. Sicut apud Latinos post collatam Confirmationem orat Episcopus, ut chrismatum confirmet, atque perficiat; & post adimpletam ordinationem orat Deus, ut jam ordinato tribuat auctoritatem, & potestatem; quæ intelliguntur non de ipso characterem, sed de gratia, ad quam possit esse obex in suscipientibus. Veritas hujus responsionis constat ex ipsa confessione Græcorum in Concilio Flor., & ex eorum praxi, de quibus suprà in probationibus. Item ex ipsis liturgiis. In liturgia enim S. Basilii statim post laudatam orationem subditur: *Nos autem, qui de una pane, & Calice participamus, jure ad invicem in unius Spiritus S. communionem; & fac, ut nemo nostrum ad iudicium, vel condemnationem sit participes corporis, & sanguinis Christi tui.* Similiter in liturgia S. Chrysostomi. Quòd si quid contrarium in antiqua liturgia Armenorum legatur, non est curandum; reputata est enim a Benedicto XII. ann. 1431. inter varios alios errores Armenorum apud Raynaldum ad eundem annum; & emendata Romæ anno 1677.

Inst. 1. In liturgia S. Chrysostomi post verba Dominica duplex distinguitur oratio, una, qua postulat, ut fiat corpus Christi; altera, qua postulat, ut fiat in salutem sumentium: ergo male utramque confundimus. 2. S. Basilus in sua liturgia post verba Christi appellat panem, & vinum, *Antitypa, symbola, præsignantia sanctum corpus, & sanguinem Christi.* Et S. Joann. Damascenus l. 4. de fide Orthod. c. 13. testatur, sacra dona vocari a S. Basilio *Antitypa*, antè, non post Consecrationem. Eodem modo interpretantur hæc Basilii verba Joannes, & Epiphanius, Diaconi act. 6. septimæ Synodi: ergo post verborum Christi prolationem panis, & vinum nondùm sunt conversa in corpus, & sanguinem Christi, sed sunt adhuc eorum typus, ac figura prænuntiativa. R. ad primum, 1. Juxta Arcudium l. 3. cap. 13. & Goarium in notis ad Missam Chrysostomi, Latinum Interpretem male reddidisse verba Græca Chrysostomi per hæc: *Fac panem istum pretiosum corpus Christi tui. transmutans Spiritu S. tuo: sed debere sic veteri: Fac ut panis, quem Spiritu S. tuo transmutasti in pretiosum corpus Christi tui, fiat suscipientibus, &c.* 2. Dato, vulgarem versionem esse retinendam, R. Orationem hanc, quamvis sequatur prolationem verborum sacrorum, ad eam tamèn referri, ut ampliorem ejus explanationem. Ad 2. R. hæc verba liturgiæ Basilianæ *Antitypa, & signa*, licet prolata post Consecrationem verbis Christi factam, referenda tamèn esse ad tempus illam præcedens, quò sacra Symbola nondùm erant consecrata. Vox enim Græca, qua utitur Basilus, est Aoristus præteriti temporis, quæ redditur præpositivum secundum Allatum l. 3. cap. 15. qui sic vertit textum Basilii: *Et, cum proposuerimus antitypa sancti corporis, & sanguinis Christi.* Undè subsistit explicatio Damasceni, & aliorum, quòd Basilus sacra dona vocaverit antitypa ante Consecrationem.

Obj. 3. Hæc verba: *Hoc est corpus meum, &c.* recitativè tantùm, & historicè proferuntur, ut patet ex præcedentibus: *Qui pridè quam pateretur, dixit*: ergo nullam habent vim mutandi panem in corpus Christi. R. (*Ibid.* art. 5. o.) hæc verba *theol. Biluani Paris lectia.*

ba non proferri recitativè, & historicè tantùm: quia juxta Florentinum 5. cerdos loquitur in ejus persona Christi; qui autem tantùm recitat verba alterius, non loquitur in ejus persona, sed in sua: tùm quia alias non applicaret formam materię presentis, sed materię, quam Christus consecravit, nec indigeret materia presentis; non enim ad recitandam historiam necessaria est presentia rei, de qua fit narratio. Hæc itaque verba profert Sacerdos recitativè quidèm, ut probant verba præcedentia, sed etiam significativè, & effectivè, quatenus referens verba, quæ Christus in ultima Coena dixit, & simul intendens ea applicare materię presentis, ac facere, quòd significant, exercet actum suæ potestatis.

Inst. 1. Si Sacerdos loquatur in persona Christi, hæc verba formæ Calicis, *Qui pro vobis effundetur* erunt falsa, cum sanguis Christi non sit amplius fundendus: ergo. R. N. Sequelam: quia Sacerdos non solum induit personam Christi, sed etiam per implicitam intentionem se constituit presentem tempori, quo Christus primùm hæc verba protulit; & ita verè dicit: *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Sicut, cum Ecclesia orat pro defuncto, ut Deus liberet eum de manu inferni, se constituit in instanti mortis illius.

Inst. 2. Eisdem verba non possunt recitativè simul, & significativè proferri ab eodem, sic v. gr. qui refert mendacium ab altero prolatum, non mentitur: ergo. R. N. Anr. Quomvis enim non semper ita contingat, potest tamèn contingere: sic in eodem exemplo, qui refert mendacium ab alio prolatum, si intendat significare idem, quòd alter, & fallere, recitativè simul, & significativè profert, & mentitur: sic iterum Sacerdos, qui recitat Orationem Dominicam, ut a Christo traditam, intendens simul petere, quòd in ea continetur, recitativè simul, & significativè eam profert.

ARTICULUS III.

Quæ sint verba essentialia utriusque formæ panis, & Calicis?

§. I. Quæ sint verba essentialia formæ Consecrationis panis?

Dico. (*Ib.* art. 1. & 2. o.) Hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*, sunt essentialia formæ Consecrationis panis. Est communis, constat ex Articulis præc. Sed insuper probatur. (*Ibid.*) Illa sola verba sunt essentialia formæ Consecrationis panis, quæ significant, & important completè conversionem panis in corpus Christi: nam forma essentialis Sacramenti est, qua significatur id, quòd in Sacramento efficitur; atqui hæc sola verba, *Hoc est corpus meum*, omnibus aliis, sive præcedentibus, sive concomitantibus, sive sequentibus, omissis, completè significant, & important conversionem panis in corpus Christi, ut constat ex terminis; & insuper patet ex significatione aliorum verborum: non enim hæc, *Qui pridè, &c.* hanc conversionem significant; neque ista *Accipite, & manducate*, quæ solum important vim, usus autèm non est de necessitate hujus Sacramenti consistentis in sola Consecratione materię. Neque enim hæc, *Quod pro vobis tradetur*, his enim omissis, habetur completa significatio dictæ conversionis, nec a Mattheo, & Marco referuntur; & quamvis Lucas, & Paulus ea referant, ut prolata a Christo, non tamèn omnia, quæ Christus consecrando protulit, sunt de essentia formæ, sed ea solum, quæ significant dictam conversionem. Græci autem illa verba proferunt non ex necessitate Sacramenti, sed ex ritu suæ Ecclesie (*Ib.* art. 2. ad 5.) Tandem tò Enim apponitur, secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesie, propter continuationem ad verba præcedentia: undè, sicut verba præcedentia non sunt de essentia formæ, ita neque hæc particula. Insuper, ea omissa, perfectè significatur presentia corporis Christi. Qui tamèn illam, aut verba præcedentia omittet, gravitèr peccaret contra Ecclesie ritum, ac præceptum.

Dices cum Scoto. Nisi hæc verba: *Qui pridè quam pateretur, &c.* præmittantur Sacerdos non significat se loqui in persona Christi, sed sua: ideoque dùm dicit: *Hoc est corpus meum*, non corpus Christi, sed suum demonstrat: ergo dicta verba, estò non sint de essentia formæ, sunt tamèn de necessitate Sacramenti. R. (*Ib.* art. 1. ad 4.) N. Ant. Hoc ipso enim, quo Sacerdos profert hæc verba: *Hoc est corpus meum*, ut significancia & efficientia ex institutione Christi, cum intentione conficiendi Sacramentum, seu convertendi panem in corpus Christi, perficitur Sacramentum, quia intentio facit, ut hæc verba, quæ vim habent ex institutione Christi, intelligantur ex persona Christi prolata, etiamsi hoc verbis præcedentibus non exprimeretur; quia, ut dictum est, non recitativè tantùm, & historicè illa refert, sed etiam significativè, ita ut nomine suo institutionem Christi referat, & nomine Christi practicè significet ibi poni corpus Christi. Sicut ergo Angelus Exod. 3. *Yy 2 di*

dicens Moysi: Ego sum Deus Patris tui, satis significabat se loqui in persona Dei, etsi non diceret Deum hæc verba protulisse; ita Sacerdos profert verba Christi cum intentione ejus corpus ponendi sub speciebus panis, intelligitur loqui nomine, & in persona Christi.

§. II. Quæ sint verba essentialia formæ Consecrationis Calicis?

Apud Latinos in Consecratione Calicis hæc verba profertur: Hic est Calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Suppono 1. (In 4. d. 8. q. 2. art. 1. q. 2.) perinde esse, si dicitur: Hic est sanguis meus cum Græcis, vel: Hic est Calix sanguinis mei, cum Latinis: quia dicitur Calix sanguinis per metonymiam sumendo continens pro contento, secundum quod dicere consuevimus, Bibi calicem vini, id est, vinum contentum in calice. Hic autem locutionis modus congruus est huic formæ: Sanguis enim de sui ratione non est aliquid potabile, imò natura abhorret a sanguine potando; quia ergo sanguis consecratur in potum, convenienter additum est aliquid pertinens ad potum, nempe Calix. Suppono 2. hæc verba: Novi, & æterni Testamenti, & sequentia convenienter prioribus fuisse adjecta: tum quia multa est illis tanquam a Christo prolata referuntur ab Evangelistis cætera verò etiam Christum protulisse, Ecclesia traditioni innixa censet: tum quia triplicem effectum sanguinis Christi in Passione effusi exprimit, scilicet vitam æternam, cum dicitur Mysterium fidei, & remissionem peccatorum, cum dicitur, Qui pro vobis, &c.

Sed questio est, an sint de essentia formæ, ita quod his omissis non cogeretur Sacramentum? Partem affirmativam tenent plures, & insignes Thomistæ; negativam alii etiam Thomistæ, nec numero, nec eruditione, seu dignitate inferiores, & cum istis communiter extranei. Controversia potissimum est inter Thomistas de mente S. Thom. qui videtur favere utrique sententiæ, & quæ juxta doctrinam illius, ut verum fatear, potest utrumque probabiliter sustineri; ne tamen in bivio hæreamus, & ut cum pluribus loquamur.

Dico. Probabilis videtur, hæc sola verba; Hic est Calix sanguinis mei, vel Hic est sanguis meus, esse formæ Calicis essentialia. Prob. 1. Ex Patribus, Justino Apolog. 2. Damasc. l. 4. de fide c. 14. Anctore de Coena Domini apud Cyprianum, Innocentio III. l. 3. de Missa c. 6. & aliis, qui dicunt Consecrationis his verbis, Hic est sanguis meus, confici. Neque dicas, illos non referre formam integram; eodem enim modo loquuntur de his verbis, Hic est sanguis meus, ac de istis, Hic est corpus meum; in his autem agnoscunt formam integram: ergo & in prioribus. Prob. 2. ex liturgiis Græcorum. Græci essentialiam formam servant, validè enim consecrant, ut omnes fatentur; atqui verba sequentia Novi & æterni, &c. non profertur, sed quidam omnia, quidam aliqua omittunt, ut constat ex eorum liturgiis. ergo.

Scio, Adversarios respondere, eandem difficultatem currere de forma Confirmationis, & de materia, & forma Ordinis, quæ diverse sunt apud Græcos, & Latinos. Sicut ergo, inquirunt, ut ab hæc difficultate se Theologi expediant, dicunt Christum non determinasse in specie, & in individuo formas, & materias horum Sacramentorum, sed genericè tantum, nempe ut conferretur per materiam, & formam, effectus Sacramenti significativam; reliquise verò Ecclesie suæ facultatem illam materialiter, & in individuo determinandi; idem quoad formam Calicis est dicendum. Sed contra 1. Equidem verum est assumptum, ubi verba æquivalentia, & materiæ æquivalentes adhibentur ad significationem sacramentalem, ut contingit in Confirmatione, & Ordine; secus verò, si, quæ essentialia dicuntur, omnino omittantur. Sic v. gr. in Baptismo, sive dicatur Te baptizo, ut apud Latinos, sive Baptizatur servus Christi, ut apud Græcos, utrumque valet; quia sunt verba æquivalentia in ordine ad significandum effectum sacramentalem, qui est ablutio, ut, si omnino omittantur apud Græcos, In nomine Patris, &c. quæ verba reputantur essentialia, non valeret Baptismus. Similiter verba in nostro casu, si apud Græcos omnino, aut partim omittantur verba sequentia, quæ secundum Adversarios sunt essentialia, nec æquivalentia substituuntur, Græci non consecrant, quod a nemine admittitur. 2. Hanc Adversariorum responsionem expressè rejicit in præsentia materia S. Thomas, de cuius tamen mente in hac questione potissimum agitur. Ideo enim art. 1. hujus q. ad 4. negat verba, quæ sunt in Canone, præter ista, Hic est Calix sanguinis mei, esse essentialia. Quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora. Alio ergo confugiant Thomistæ, quos oppugnamus, necesse est, nisi sui Doctoris hac in parte deceptoros haberi velint.

Prob. 3. (Hic art. 1. o.) argumento petito ex principio,

quod communiter admittitur, & quod ipsi adversarii pro forma Consecrationis panis adhibent. Illa sola verba sunt essentialia formæ Consecrationis Calicis, quæ significant præsentiam realem sanguinis Christi; atqui hæc sola verba; Hic est calix sanguinis mei, vel Hic est sanguis meus, independentè a sequentibus Novi, & æterni, &c. significant præsentiam realem sanguinis Christi; non minus quàm ista, Hic est corpus meum, independentè a sequentibus, Quod pro vobis tradetur, significant præsentiam realem corporis Christi. ergo. Min. constat. Major, ut dixi, est principium commune, Sacramenta efficere quod significant, & quod adhibent Adversarii, ut probent hæc sola verba: Hic est corpus meum, omisso quod pro vobis tradetur, esse essentialia formæ Consecrationis, vel coguntur hanc probationem admittere in forma Calicis.

Hic tamen argumento, quod nobis videtur peremptorium ad hominem, variè occurrit noster Gonet. 1. Dicit, Eucharistiam esse institutam non solum, ut Sacramentum, sed etiam, ut Sacrificium, sique sanguinem debere significari, ut effusum; per hæc autem sola verba: Hic est calix sanguinis mei, significatur quidem præsentia sanguinis, sed non nisi effusi, quod significatur per ista, Qui pro vobis effundetur. Sed contra 1. Hæc responsio probat tantum, si quid probet, hæc sola verba, Qui pro vobis effundetur, esse essentialia, non cætera, sique est diminuta. 2. Non ex congruentiis, sed ex institutione Christi repetenda est forma essentialis hujus Sacramenti; Christum autem non instituisse verba sequentia ut essentialia, inter alia probat praxis Græcorum, quia illa omittunt, & tamen validè consecrant. 3. Et directè contra responsum. Hoc ipso quo vi verborum ponitur sanguis separatus a corpore, sufficienter significatur, ut effusus, & hoc Sacramentum esse Sacrificium, in quo mysticè immolatur victima per hanc separationem corporis a sanguine.

Reponit, hanc mysticam separationem sanguinis a corpore esse indifferentem, ut significet sanguinem ibi poni per modum potus, an per modum Sacrificii; ideòque ad tollendam hanc indifferentiam adhibenda esse hæc verba, Qui pro vobis effundetur. Sed contra N. Ant. Hoc ipso enim, ut dixi, quo sanguis vi verborum ponitur seorsim a corpore, mystica illa separatio significat Sacrificium, quia significat, & importat mactationem, & oblationem victimæ factam Deo in recognitionem supremi ejus domini, in quo sita est ratio Sacrificii.

2. Recurrit ad significationem grammaticalem, & dicit hæc verba, Hic est calix sanguinis mei, significare quidem grammaticaliter præsentiam Christi; sic v. gr. quamvis hæc verba: Baptizo te, grammaticaliter significant abluitionem baptismalem, requiritur tamen ulterius expressio Trinitatis, quia sic Christus instituit. Sed contra. Supponit responsio, quod est in questione, scilicet, Christum instituisse verba sequentia, ut essentialia formæ, quod nec illis probare potest. Adfert quidem quasdam congruentias petitas ex ratione Sacrificii, ut vidimus, sed quas insufficientes probavimus, & quibus prævalent probationes Conclusionis. Ad exemplum de Baptismo: Disparitas est 1. Quod hæc verba formæ Baptismi In nomine Patris, &c. sint a Christo determinata, & ab utraque Ecclesia Græca, & Latina ut essentialia reputata: neutrum dici potest de verbis Novi, & æterni, &c. 2. Disparitas est, quod prolatis his solum verbis: Te baptizo, ablutio remaneat indifferentes ad abluitionem corporalem, vel spirituales; per hæc autem verba In nomine Patris, &c. accedente intentione, determinatur ad abluitionem spirituales. At hæc verba Hic est calix sanguinis mei, sufficienter significant immolationem victimæ, & Sacrificium, ut dictum est. Hic usque dicta non obscurè, ni fallor, ostendunt sententiam communem conclusionis nostræ assertam esse secundum se probabilior. At an ita sit secundum mentem D. Thom? Hoc opus hic labor est. Itaque

Prob. 4. Conclusio ex D. Thom. 1. S. Doct. hic art. 1. querit ex professò, Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti, Hic est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei nullius alterius verbi mentionem faciens, & respondet affirmativè, probatque quia Forma hujus Sacramenti importat solam Consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur: Hic est corpus meum, vel, Hic est calix sanguinis mei. Quasi diceret: illa est forma hujus Sacramenti, significat, & importat Consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit; atqui ista verba, Hic est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei, significant, & important hanc Consecrationem, & transsubstantiationem: ergo. Quæ probatio est ea ipsa, qua nos supra uti sumus.

Respondet Gonet, S. Thom. intelligere, hæc verba: Hic est calix sanguinis mei significare Consecrationem grammaticaliter tantum, & materialiter, non formaliter secundum institutionem Christi. Sed contra 1. Hanc responsionem jam superius exsufflavimus. 2. S. Thom. intelligit, hæc verba: Hic est corpus meum, præcisè, & omisso Quod pro vobis tradetur, significat

nificare formaliter, secundum institutionem Christi: ergo & in præcisè: Hic est calix sanguinis mei; de utrisque enim eodem modo loquitur. 3. Quia alioquin S. Doctor non probaret, quod querit & intendit, nimirum hæc verba: Hic est corpus meum, & hic est Calix sanguinis mei, esse formam hujus Sacramenti. 2. S. Thom. in eodem art. 1. ad 4. disertè dicit, quod, Si Sacerdos sola verba prædicta (scilicet hoc est corpus meum & hic Calix sanguinis mei) profert cum intentione conficiendi Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.

Ad hoc manifestissimum testimonium unum reponunt Adversarii, scilicet, S. Doctorem per ly. sola voluisse tantum excludere verba præcedentia, Qui pridè, non verò sequentia, Novi & æterni, &c. idque probare conatur ex argumento, cui responderet. Obiecerat sibi, quod verba alia in canone Missæ præsertim hæc, Qui pridè, &c. essent necessaria, quia alias non intelligeretur Sacerdos loqui in persona Christi. Respondet, quod illa sola verba: Hic est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei, perficiant Sacramentum. Quia intentio sacerdotis, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Sed contra. His quidem verbis, & hoc responso excludit S. Thom. verba præcedentia, non tamen hæc sola, sed etiam sequentia; & conclusionis positæ in corpore articuli, scilicet sola verba: Hic est &c. hic est, &c. esse formam hujus Sacramenti, constantè inhaeret; quod manifestè patet ex ratione, quam adfert in hac responsione, quæ militat pariter contra sequentia & præcedentia. Ad 4. inquit, dixerunt, quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, & aliis prætermisissis, præcipuè, quæ sunt in Canone Missæ. Sed hoc patet esse falsum... quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposta; atqui verba sequentia, Novi & æterni &c. non sunt eadem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposta: ergo juxta S. Thom. solis prædictis verbis prolatis, & his sequentibus, sicut & præcedentibus omissis, perficitur Sacramentum.

3. S. Thom. art. 3. ejusdem præsentis Quest. o. ait: Cum dicitur: hic est Calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma Consecrationis panis. Per hæc verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc Sacramentum; quibus verbis omne effugium videtur Adversariis præclusum. Non enim dicere possunt, hæc verba significare conversionem vini in sanguinem grammaticaliter tantum, & non formaliter secundum institutionem Christi, significant enim, inquit S. Doctor, eo modo quo dictum est in forma Consecrationis panis; verba autem Consecrationis panis significant formaliter secundum institutionem Christi. Neque etiam respondere possunt sub his verbis, Hic est Calix, &c. significantibus conversionem vini in sanguinem, S. Thomam intelligere etiam verba sequentia; ab hac enim significatione illa S. Doctor disertè excludit, dum addit, Per verba autem sequentia designatur, non conversio vini in sanguinem, sed virtus sanguinis Christi effusi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex D. Thom. S. Doctor hic art. 3. dicit, omnia verba, quæ recitantur in Consecratione Calicis, esse de substantia formæ; atqui substantiam intelligit essentiam: ergo. Prob. Min. Quando S. Thom. agit de essentia Sacramentorum, pro eodem sumit esse de substantia & esse de essentia, ut patet ex q. 60. art. 8. ubi dicit, quod, si diminuat aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus verborum sensus; atqui per solam diminutionem alicujus essentialis tollitur debitus verborum sensus: ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quando S. Thom. agit de essentia Sacramentorum pro eodem sumit esse de substantia & esse de essentia, aliquando, C. semper, N. Non enim omnia, quæ sunt de alicujus rei substantia, sunt de ejus essentia: sic, non solum corpus & anima sunt de substantia hominis, sed etiam pes, manus, &c. quæ tamen non sunt de ejus essentia, sed partes integrales tantum. Quandoquæ autem S. Thom. accipit substantiam pro essentia, quando non? colligendum ex verbis ad junctis. Sic q. 60. cit. manifestum est, quod accipiat substantiam pro essentia, dicens per diminutionem substantiæ se intelligere mutationem, qua tollitur debitus sensus verborum: sensus autem debitus verborum non tollitur nisi per mutationem alicujus essentialis. At hic pariter manifestum est, quod non accipiat substantiam pro essentia: ideò enim dicit, quod verba sequentia sint de substantia, quia sunt determinationes prædicati, & pertinent ad integritatem locutionis; refellens enim eos, qui indistinctè affirmabant, illa verba non pertinere ad substantiam formæ, dicit: Sed hæc videtur inconveniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quedam determinationes prædicati; id est, sanguis

Christi, unde pertinet ad integritatem locutionis, & propter hoc, sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc, quod postea sequitur: Hæc quotiescumque feceritis, &c. quod pertinet ad usum hujus Sacramenti. Deinde addit, quod ista verba sequentia Novi & æterni, &c. non significant conversionem vini in sanguinem, sed virtutem dumtaxat sanguinis fusi; ut in 3. Prob. ex S. Doctore, vidimus. Quæ verò ad clariorem prædicati determinationem, & ad integritatem locutionis tantum pertinent; nec significant conversionem vini in sanguinem, sed virtutem dumtaxat sanguinis fusi, quamvis ad substantiam formæ pertineant, certò tamen non sunt de ejus essentia. Adde, S. Doctorem non querere in hoc articulo, quæ sit essentialis forma Calicis; id enim resolverat art. 1. & responderat, hanc esse: Hic est Calix sanguinis mei; sed querit, quæ sit conveniens forma, seu utrum verba sequentia, Novi & æterni, &c. convenienter formæ essentiali sint adjecta, sique de convenientia tantum, non de necessitate essentiali agit.

Inst. 1. S. Thom. eodem sensu accipit substantiam, dum dicit aliquos velle omnia non pertinere ad substantiam formæ, ac cum addit, alios melius dicere omnia pertinere ad substantiam formæ: alioquin nomen substantiæ intrâ paucas lines nimis æquivocè usurparetur; atqui in prioribus verbis substantiam sumit pro essentia; ergo. Prob. Min. Anctores illi, quos impugnat, asserunt præcisè verba sequentia non esse de essentia: ergo. R. N. Min. Ad Prob. N. Antec. quod nec probant; nec probare possunt objicientes, quin potius ex refutatione S. Thom. colligatur, eos per substantiam intellexisse non essentiam; sed quidquid nomine substantiæ aliqua ratione comprehenditur. Non enim arguit illos S. Doctor, quod vellent, quæ verba esse essentialia, sed quod vellent, quæ verba esse substantiam per se, & sequere habere accidentaliter, sicut ista: Hæc quotiescumque feceritis, &c. ut patet ex his, quæ modo dicebamus, & ex textu.

Inst. 2. S. Thom. eodem art. 3. sibi objicit 2. & 7. loco eodem argumenta, quæ nos objicimus Adversariis: ergo sentit cum ipsis contra nos. R. D. Ant. Sibi objicit eadem argumenta, quæ nos objicimus Adversariis, & diverso sensu, C. eodem sensu, N. Argumenta enim, quæ sibi objicit S. Doctor, erant illorum, qui contendebant verba sequentia nullo modo pertinere ad substantiam formæ, sed se habere ad eam accidentaliter tantum. Unde in solutionibus non respondet, ea pertinere ad essentiam formæ, sed convenienter adungi Consecrationis sanguinis, potius quam corporis; quia sanguis seorsim consideratus expressè Passionem Christi representat.

Inst. 3. S. Pius V. jussit, expungi ex commentariis Cajetani in Summam D. Thom. Dissertationem, qua propugnabat nostram sententiam: ergo. R. summum Pontificem jussisse hanc Dissertationem expungi ex commentariis Cajetani non tanquam falsam in hac parte; sed quia Eminentiissimus Scriptor non satis fundatè sententiam contrariam affingebat Doctori Angelico, potius satis reverenter de illo loquebatur. Dicebat enim, ut habetur in antiquiori editione, quam, referente Laurentio Bertio Cardinali Gotti se legisse testatur: Etsi S. Thomas intentio contraria sit, non est curandum. Hæc quantum ad ea, quæ nobis objiciuntur ex Summa, quibus existimamus esse plene satisfactum. Restant autem ex prioribus S. Doctoris operibus quedam solvenda & obscuriora & difficiliora, nec dissimulanda. Unde

Obj. 2. S. Thom. in 2. d. 8. q. 2. art. 2. q. 1. relata opinione eorum, qui dicebant hæc sola verba: Hic est Calix sanguinis mei, esse de forma Consecrationis Calicis, subdit, Alii probabilis dicunt, quod totum, quod sequitur, est de forma. Quod verò loquatur de forma essentiali, patet ex sol. ad 3. in qua dicit, quod verba, quæ sequuntur, sunt essentialia sanguinis, proit in hoc Sacramento consecratur, idè oportet, quod sint de substantia formæ: Item S. Doctor in 1. Cor. 11. lect. 6. dicit: Probabilis dici videtur, quod illis solis verbis perficitur Consecratio, quibus Ecclesia utitur ex traditione Apostolorum servata. Deinde refellit eos, qui non omnia esse de necessitate formæ opinantur, & ibid. dicit, omnia verba habere vim effectivam ad transmutandum vinum in sanguinem: En ejus verba: Quia forma Sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam; quæ autem habent vim effectivam effectus sacramentalis, ad essentiam Sacramenti pertinent: ergo. R. ad 1. dicit S. Thom. verba sequentia esse de forma, non ut illam essentialiter constituentia sed ut illam integranitia, & id, quod in hoc prædicato Sanguinis mei implicite continetur magis explicite. Sicut v. gr. in Sacramento Penitentiae hæc verba A peccatis possunt dici de forma hujus Sacramenti, non quòd illam essentialiter constituent, sed quia illam integranitè & explicite significant id, quod hæc verba Absolvo te implicite important. Solutio petitur ex his, quæ diximus in prima solutione præcedentis argumenti ex art. 3. hujus questionis, imò ex ipso loco objicere in 4. ubi dicit sic S. Doctor: Quia conditiones, appositæ ad sub-

jectum & predicatum, sunt de integritate locutionis alienius, id est alii probabilius dicunt, quod totum, quod sequitur, est de forma. cum totum hoc, quod additur, non sit locutio per se, sed sit determinatio predicati.

Ad 2. non dixit S. Thom. quod verba, quae sequuntur, sunt essentialia Consecrationi sanguinis, sed Sanguini prout in hoc Sacramento confertur, quod multum differt. Duo enim S. Doctor in Consecratione Calicis spectat, unum quod vinum convertitur in sanguinem, alterum quod exprimitur verbis Passio Christi & sanguinis eius effusio. Confert 1. solutionem Objectionis praecedentis. Dicit ergo, verba, quae sequuntur, esse essentialia, non Consecrationi seu conversioni vini in sanguinem, quippe quae illam non efficiunt, sed significationi explicitae Passionis Christi & sanguinis eius effusionis, prout in hoc Sacramento consecretur. Unde solum ibi concludit S. Thom. quod illa verba sint de substantia; non quod sint de essentia; quia respectu Sacramenti essentialia non sunt, licet ad exprimentam virtutem sanguinis Christi sint essentialia.

Ad 3. ex commentariis in Apostolum. Non querit ibi S. Doctor, an omnia, aut quaedam tantum verba, quae recitantur in Consecratione, sint adhibenda; sed agit contra quosdam, qui dicebant historice relata, & dicit probabilius non posse ab Evangelistis historice relata, & dicit probabilius non posse fieri, nisi per verba, quibus utitur Ecclesia: an autem omnia sint necessaria adhibenda, an prima sufficiant? non illic discutit, sed inferius. Solutio patet tum ex verbis praecedentibus, tum ex inferius. Solutio patet tum ex verbis subiungit: Evangelium enim, inquit, verba Domini recitare intendunt, quantum ad rationem historiae, non autem secundum quod ordinantur ad Consecrationem Sacramentorum, quas in occulto habebant in primitiva Ecclesia propter infidelitatem.

Ad 4. docet S. Thom. omnia esse de necessitate formae, non ut illam essentialiter constituentia, sed ut eam explicantia, sive esse de necessitate formae, non ut consecrantis, sed ut exprimentis Passionem Christi, & sanguinis eius effusionem, ut dicitur est. ad 5. non dicit, totum habere vim effectivam, sed totum pertinere ad vim effectivam; scilicet priora pertinent ad vim effectivam per modum causae efficientis, sequentia per modum applicationis causae & effectus; quo sensu posset dici quod totum in hac forma, Absolve te a peccatis, pertinet ad vim effectivam. Ceterum, si quidam his non acquiescant: novum magis standum esse doctrinae, quam S. Doctor senior tradidit in sua Summa, quam, ut, quae junior in prioribus operibus scripsit. Unde dato, quod id 4. & in Commentariis in 1. Cor. 11. contrariam opinionem tenuerit, dicendum erit mutasse sententiam in Summa.

Obj. 3. Rubrica referunt haec verba: Novi & aeterni, &c. majusculis litteris sicut praecedentia: Sacerdos eodem ritu hostiam manū tenens ea recitat, nec prius sanguinem adorandum proponit, quam omnia protulerit; atqui haec indicant omnia

pertinere ad essentiam formae: ergo. R. N. Min. Ideo enim omnia iis litteris scribuntur, eodem ritu pronuntiantur, nec prius proponitur sanguis adorandus, quam omnia sint prolata, quia omnia pertinent ad eandem formam; sed diversimode priora essentialiter, sequentia integraliter, ut explicativa, sive componentia adaequatam propositionem. Sic in forma Penitentiae omnia verba haec: Ego absolvo te a peccatis in nomine Patris, &c. eodem ritu proferuntur, quamvis non omnia ad essentiam pertineant. Sic Graeci eodem ritu proferunt: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, licet haec ultima verba non sint essentialia: sic tandem nos ipsi eodem ritu dicimus; Hoc est enim corpus meum, quamvis enim non sit de essentia. Adde, quod, cum sententia opposita sit verè & valde probabili; Ecclesia Romana prudenter sequitur, quod est tutius circa validitatem tanti Sacramenti: quam etiam ob causam Rubricae praecipit, ut si verba sequentia omitti contingat, forma ex integro repetatur.

APPENDIX.

Explicantur verba utriusque formae.

IN Consecratione panis Hoc sumitur substantivè, & demonstrat indeterminatè substantiam contentam sub speciebus panis. Est non sumitur pro Significat, ut volunt Haeretici; sed in naturalis significatione pro extremorum connectione. Corpus importat non materiam nudam, non compositum informatum anima dante esse corporeum, sed compositum ex materia & forma, abstrahendo ab anima, vel forma eadveritica. Pro 1. & 2. particula vide Diss. 1. art. 4. §. 1. Obj. 2. & 3. Pro 3. particula, Diss. 4. art. 1. Meum significat non unionem, sed identitatem corporis Christi. Vide ibid. Concl. 3. Obj. 2. Enim significat rationem, ob quam antecedenter dictum est, Accipite & manducate. In Consecratione Calicis Hic non est adverbium loci, alioquin non significaretur mutatio substantialis; sed est pronomen sumptum similiter substantivè demonstrans immediate liquorem, seu potum contentum sub speciebus vini quod est in Calice; Cuius enim, ut dictum est, ponitur tropicè, ut continens pro contento. Dicitur Sanguis novi & aeterni Testamenti; quia sicut veter testamentum vitalium sanguine confirmatum fuit Exod. 24. ita hoc novum confirmatum est sanguine Christi: Dicitur Novum, quia novissimis temporibus est exhibitum, & a veteri distinctum. Dicitur Aeternum, quia nunquam antiquandum, & est de bonis spiritualibus & aeternis, cum veter esset de temporalibus tantum. Dicitur Mysterium fidei; quia, quod proponitur in hoc Mysterio, sola fide attingi potest, & inter alia fidei Mysteria est spectatissimum. Dicitur, qui pro vobis, scilicet sumentibus; & pro multis, id est, omnibus sufficienter Effundetur, de quo in Tract. de Deo, in remissionem peccatorum, quae est effectus sanguinis Christi in cruce effusi.

charitatis non est necessaria neque parvulis neque adultis necessitate medi ad salutem. Prob. ex Conc. Trid. sess. 21. c. 4. ubi S. Synodus declarat, Parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentale Eucharistiae communionem. Et rationem subiungit: Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Deinde subdit. Neque idè tamèn damanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquandò servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia tenendum est. Et Can. 4. definit: Si quis dixerit, parvulis, antequàm ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem; & anathema sit.

Eandem fidem constantè tenuerunt SS. Patres, qui unanimiter docuerunt per Baptisum deleri peccatum originale, & conferri gratiam sanctificantem, consequenter baptizatos statim post Baptisum morientes salutem aeternam adipisci; praesertim Aug. quae nobis opponunt Haeretici; sic enim libr. 1. de peccat. meritis cap. 19. loquitur: Verumtamèn, si parvulus percepto Baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originalliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum justificatos praesentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum, quae solvuntur Christi gratia. Item Ep. 98. alias 23. ad Bonif. & Ep. 166. alias 28. ad Hieronym. haecque esse germanam S. Doctoris doctrinam, testatur S. Fulgentius infra citandus.

Eandem etiam semper fuisse Ecclesiae fidem tam pro adultis, quam pro parvulis, invicè probant 1. quod antiquitas denegaverit etiam in exitu Communionem lapsis in graviora peccata, ut in adulterium: item, quod tunc sicut, nunc, denegaverit Plereticis, infirmis ad vomitum proclivibus, & in pluribus locis ad mortem d'mittis. 2. Quod nunquam constituerit Laicos, Mulieres, Paganos dispensationis hujus Sacramenti Ministros, sicut Baptismi. 3. Quod non obstitit disuetudini conferendi Communionem infantibus, quin potius contrarium probaverit, nullo reclamante, nisi Haeretico.

Prob. tandem ratione Theologica. Eucharistia ex sua institutione est Sacramentum vivorum, non confersens primam gratiam, sed supponens collatam, non remittens peccata, sed supponens remissa, confersens autem tantum augmentum gratiae, seu gratiam cibantem, quae supponit vitam, & quae juvat ad praevendenda peccata futura: ergo antè realem Eucharistiae assumptionem, & independentèr ad illa, homo potest habere omniam requisita ad salutem, scilicet remotionem peccati & gratiam sanctificantem. Quantum ad Eucharistiam in voto jam dixi dissentire Theologos; sed forè conciliabuntur, si tollatur verborum equivocatio, & sententiae ad legitimum sensum revocentur.

Observandum itaque, Sacramentum Eucharistiae duplici modo posse considerari. 1. Ut est Sacramentum particulare contra alia Sacramenta distinctum, speciale producens effectum per modum causae efficientis, nimirum augmentum gratiae, seu gratiam cibantem. 2. Potest considerari sub ratione communi omnibus Sacramentis, quae est unio cum Christo & corpore eius mystico virtute illius Passionis; hanc enim important omnia Sacramenta, sed cum hoc discrimine, quod Eucharistia illam importet per se & essentialiter, quia continet substantialiter ipsum Christum, & eius Passionem mysticè exhibitam; alia verò Sacramentum hanc unionem important participativè tantum. Haec autem substantialis unio per Eucharistiam a quibusdam vocatur res Sacramenti, ab aliis manducatio spiritualis. Ex hoc verò discrimine sequitur, quod, cum Sacramentum Eucharistiae sit in hoc genere unionis praecellentissimum, omnia alia Sacramenta ad ipsum ut ad finem ordinantur; quia omnis inchoatio tendit ad suam consummationem, & omne imperfectum ad suam perfectionem, tanquam ad finem. Haec observatio posita.

Dico 2. Votum Eucharistiae, consideratè ut est particulare Sacramentum, non est necessarium necessitate medi ad salutem; secus, si consideretur ut spiritualis manducatio sub ratione unionis substantialis cum Christo Redemptore, & eius Passione mysticè exhibitae. Prob. 2. Pars Votum alicujus rei non censetur necessarium, nisi ut obtrineatur effectus hujus rei, est enim ejus vicarium; atqui effectus Eucharistiae, ut est Sacramentum particulare, utpotè gratia secunda, non est necessarius necessitate medi ad salutem, ut supra diximus: ergo. Confirm. Votum seu desiderium non est propter se, sed propter rem desideratam: ergo implicat, quod votum sit necessarium, si res ipsa desiderata non sit necessaria. Prob. 2. Pars. Eucharistia, considerata sub ratione unionis substantialis cum Christo Redemptore, & ejus Passione mysticè exhibitae, est consummatio & perfectio aliorum Sacramentorum, consequenter eorum finis, ut dictum est in observatione: ergo ista sunt media ad istum finem. Subsuaque; atqui intentio finis includitur

in volitione mediorum, & ex illis mediis, scilicet Sacramentis, quaedam ut Baptismus, & Penitentia sunt necessaria necessitate medi: ergo & finis intentio. Hanc autem intentionem, dicimus votum, quod quidam vocant votum tacitum, quidam interpretativum, quidam latè dictum, quod nobis perinde est. Atque hac explicatione arbitror conciliari sententias apparentèr contrarias.

Nihil autem aliud intendere Auctorem citata q. 73. art. 3. certum mihi videtur. Dicit enim in corpore: In hoc Sacramento duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & res Sacramenti. Dicitur est autem, quod res hujus Sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus. Et infra: Baptismus est principium spiritualis vitae & janua Sacramentorum. In Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitae, & omnium Sacramentorum finis, ut dictum est q. 63. art. 3. per sanctificationes enim aliorum Sacramentorum fit preparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et idè perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam vitam spiritualem; perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc, quod simpliciter habeatur, sed sufficere eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio & intentione. Item ad 1. & in hac q. 80. art. 9. ad 3. docet ex Aug. unumquemque fidelium fieri participem spiritualiter corporis & sanguinis Domini, quando in Baptismo membrorum corporis Christi efficitur, quia nempe ista inchoata incorporatio tendit ex se ad incorporationem perfectam & consummatam per Eucharistiam tanquam ad finem.

Si petas, quomodo Confirmatio, Extrema-Unctio, & Matrimonium ordinentur ad Eucharistiam tanquam ad finem? De Baptismo enim, Penitentia, & Ordine, satis constat. R. (Hic q. 65. art. 3. o.) quod etiam illa tria Sacramenta ordinentur ad Eucharistiam, si non ad eam sacramentaliter suscipiendam, saltem vel ad disponendum ad ejus effectum, qui est unio cum Christo, vel ad eum conservandum. Nam Confirmatio roborat nos ad fidem servandam contra ejus impugnatores, consequenter ad conservandam unionem cum Christo, quae, ut diximus, est effectus generalis omnium Sacramentorum, principaliter tamèn appropriatur Eucharistiae, & ab illa derivatur tanquam a fine. Extrema Unctio olim conferebatur autè Viaticum, ut dispositio ad illum: nunc autem, cum conferatur post illud, ordinetur ad conservandam unionem cum Christo in ultimo conflictu. Matrimonium sua significatione attingit hoc Sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, cujus unitas per Sacramentum Eucharistiae figuratur. Item conducit ad reprimendam concupiscentiam, cujus reformatio est maxima ad Eucharistiam dispositio.

Obj. contra 1. Conclusionem. Ex his verbis Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei, colligitur Baptisum in re esse necessarium necessitate medi ad salutem: ergo ex his Joann. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, colligi debet Eucharistiam esse necessariam necessitate medi ad salutem; utrobique enim lisdem verbis, & eodem modo significatur necessitas utriusque Sacramenti. R. N. Cons. Plures disparitates inter utrumque textum delimus in Tract. de Baptismo Diss. 3. art. 1. Obj. 1. quarum una est, quod haec verba, Nisi manducaveritis, &c. in secunda persona dirigantur ad adultos praeccepti capaces, & sic pro illis important praeccepti necessitatem: ista verò, Nisi quis renatus fuerit, &c. in tertia persona dicuntur generaliter de omnibus. Altera disparitas est, quod Baptismus sit institutus, ut renascentia spiritualis, quae est omnibus necessaria necessitate medi ad salutem: ac Eucharistia ut cibus spiritualis, qui vel non est necessarius ad vitam aliquandù servandam, ut patet in cibo corporali; vel si sit necessarius, cum sit spiritualis, sufficit quod sumatur spiritualiter (Hic quest. 74. art. 3. ad 2.) Haec est enim differentia inter alimentum corporale & spirituale, quod alimentum corporale convertatur in substantiam illius, qui nutritur, & idè non potest homini prodere ad vitae conservationem, nisi realiter sumatur; sed alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum, juxta dictum Aug. l. 7. Confess. c. 10. potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis & actibus virtutum, praesentia Charitatis, sine reali perceptione hujus Sacramenti.

Inst. 1. Aug. hanc Christi sententiam: Nisi manducaveritis, &c. etiam ad parvulos extendit: ergo. Prob. Ant. l. 1. de peccat. meritis c. 20. dicit: Dominum audiamus, non quidem de hoc Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctae mensae suae, quod nemo ritè nisi baptizatus accedit. Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis... in verò quisquam hoc etiam dicere audeat, quod ad parvulos haec sententia non pertineat? similiter alibi: ergo. Hoc testimonio & quibusdam aliis similibus mo-

DISSERTATIO VI.

DE USU, SEU SUMPTIONE, NEC NON DE EFFECTIBUS EUCHARISTIAE.

D. Thom. Quest. 79. 80. & 81.

MULTA hic occurrunt discutenda. 1. de necessitate, seu obligatione sumendi Eucharistiam. 2. de Communionem sub utraque specie. 3. quibus exhibenda, quibus deneganda Communionem? 4. de dispositionibus, tam ex parte corporis, quam animae, requisitis ad Communionem. 5. de modo, quo Christus usus est Sacramento. 6. de ejus effectibus. Quae omnia complexus est Auctor tribus questionibus citatis.

ARTICULUS I.

De necessitate, seu obligatione sumendi Eucharistiam.

TRIPLEX est modus manducandi corpus Christi. (Opusc. de Sacr. c. 17.) Primus Sacramentalis tantum. Secundus spiritualis tantum. Tertius Sacramentalis simul & spiritualis. Primo modo manducant mali Christiani. Secundo omnes salvandi, qui voto hunc coelestem cibum edentes fide viva per dilectionem operante ejus fructum percipiunt. Tertio soli boni Christiani. Ità post Auctorem Concil. Trid. sess. 13. c. 8. Jam alibi observavimus, aliquid duplici modo esse necessarium ad salutem, nempe necessitate medi, & praeccepti. Illud dicitur necessarium necessitate medi, quod ex sua natura, vel institutione est ita

necessarium, ut, illo etiam inculpabiliter deficiente, non possit haberi salus, ut v. gr. Baptismus pro parvulis. Necessarium necessitate praeccepti dicitur, quod neque ex natura sua, neque ex sua institutione est medium positivè necessarium ad salutem, & illo inculpabiliter deficiente potest haberi salus: sed quia praecceptum est, non potest voluntariè omitti sine peccato, quod peccatum impedit salutem; v. gr. jejunium quadragesimale, auditio Massae in die Fasto. De utraque necessitate est questio.

§. I. Utrum sumptio Eucharistiae sit necessaria necessitate medi ad salutem?

QUIDAM Graeci Schismatici tenent, realem sumptionem Eucharistiae esse necessarium necessitate medi ad salutem, quibus subscribunt plures Calvinistae contententes, eam fuisse constantem Patrum, Augustini praesertim, sententiam; eaque de causa morem antiquitus viguisse administrandi Eucharistiam infantibus statim post Baptisum. Quantum verò ad susceptionem Eucharistiae in voto dissentiunt Theologi, sed forè est dissensio quoad nomen tantum, ut explicabimus infra.

Dico 1. (Hic q. 73. art. 3. o. & ad 1.) Sumptio realis Eucharistiae